

§. XXXI. Sed hic peculiariter observandum est, quod non tantum peccata *externa & atrociora*, contra conscientiam & ex proæresi commissa, qualia Davidis & Manassis erant; verum etiam quæ ab *Ignorantibus* committuntur, qualis erat persecutio fidelium, a Paulo ante conversionem admissa, *1. Tim. I, 13.* imo ipsum peccatum *originis*, & peccata quæ vocantur *infirmi-tatis*, aut phrasi Tertullianæ *quotidiana incurvationis*, præ-gustui damnationis originem præbere possint, & quandoque soleant. Nam & peccata, quæ jam *remissa* sunt a Deo, intercedente pœnitentia & fide; sicut tamen homini subinde recurrunt in mentem; sic affligere possunt, ac deficiente sensu gratiæ obtentæ, possunt horrorem insignem atque infernalem in animo tentati excitare: prout exemplo Davidis, cui jam Deus per Nathanem annunciari jusserat remissionem peccatorum, ipse autem nihilominus questus est, *peccatum suum esse coram se semper Psal. LI, 5.* non obscure constat.

§. XXXII. Sed quemadmodum Paulus *I. Cap. XV, 56.* cum dixisse *aculeum mortis esse peccatum*, statim addidit, *potentia vero peccati Lex est*: scilicet quod Lex peccatoribus maledictionem mortemque & damnationem denunciat, ipsosque condemnationi subjicit, ideoque *διακονία τῆς θανάτου ministerium mortis* dicitur, *II. Cor. III, 6.* sic *Legem* aliquid conferre ad præ-gustum damnationis, facile intelligi potest. Ut autem plenius intelligatur, sciendum est, quod Lex Dei, velut adæquata norma & regula actionum omnium & totius vitæ humanæ, non solum per naturam implantata verum etiam peculiari revelatione, post lapsum protoplastorum & corruptionem generis humani solenniter repetita & promulgata; prout accuratam omnium facultatum animæ singularumque & omnium actionum *εὐταξίαν* & conformitatem cum creatura rationali, ut tali, tum in ordine ad Deum, tum in ordine ad se ipsam, tum in ordine ad alios homines severe exigit, idque auctoritate & nomine summi Numinis, cujus infinita Majestas est; ita eadem illa Lex transgressoribus certam & horrendam iram Dei vindicis denunciât. Præterea observandum est, quod Deus Legi huic suæ, tanquam vero suo *vim* suam

L 3

*divinam,*